



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Martinus Papa & M. 12. Novembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

nis, & aliis piis operibus exoratur. Experire, confuge ad Deum in omnibus negotiis tuis, eaque ipsi commenda. Si nimium fidas prudentiæ ac viribus tuis, res tuæ non prosperè cadent. *Ne innitaris prudentia tua?*

3. Imminente morte, S. Martinus eo propemodum Spiritus fervore Deum orabat, quo orasset, si fuisset validis ac integris viribus; tunc indutus cilicio, humi in cineribus jacebat: Par est, inquiens, ut armatus moriatur miles. Nihilotamen minus ad eum tentator accessit: unde intellige, ad ultimum usque spiritum praliandum esse. Pœnitentiâ & oratione vincitur Dæmon, si tamen in utraque ad ultimum usque spiritum perseveretur. Petr. Bles.

S. MARTINUS Papa & M.

12. Novembr.

In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrigit pater.

Paul. ad Hebr. cap. 12.

Martinus Tuderti in Umbria, novâ lux mortus, vix Romæ in S. Petri cathedra collocatus est, cum, quod pastoris officium est, errantem Arriana hæresi ovem, Paulum Bizantii Patriarcham, reducere conatus est & sanare; at ille, non jam ovis, sed, sub|ovi-
na

na adhuc pelle, lupus, missos à Pontifice légatos, violato gentium jure, ad desertas insulas, ululante secum Constante Cæsare etiam Arriano relegavit. Nec nisi ad acuendas iras profuit, habito Romæ consilio, Paulum condemnasse: id enim injuriam suam interpretatus, fautor damnati, Cæsar, Olympium exarchum misit, qui Martino aut mortem aut vincula inferret. Et cecidisset ad sacram aram cruenta victima Pontifex, nisi stricto ferro jam imminens percussor vindice Deo excæcatus corruisset: quod Olympium quidem movit ut deprecaretur destinatum facinus. Constantis tamen furorem non sedavit, qui sanctum fraude circumventum & Constantinopolim abstractum in Chersonesum ejecit, ubi inter ærumnas, ob Religionis defensionem exul consumptus, lauream Martyrii obtinuit, hæresi triumphatâ. *Ex Brev. Rom.*

M E D I T A T I O.

De pœnis peccati.

I. **D**eus ita odit peccatum, ut graviter illud puniat in ista, & futura vita; in ista quidem peccator gratiâ spoliatur, ab eo recedit Spiritus sanctus, ex filio Dei fit filius Diaboli; amittit jus adeundi hæreditatem Patris cœlestis, & ipsi planè inutile est, quidquid boni fecerat ante peccatum. Quid multa? peccator est

est inimicus Dei. Heu! quàm metuendum est lethale peccatum, cum tot bonis hominem privet, tótque objiciat malis.

2. In futura autem vita mortale quodcunq̄ue peccatum æternis ignibus punietur: ita est, quisquis lethalis noxæ conscius obierit, nunquam Paradisum, nunquam Deum visurus est, imo verò in omnibus corporis partibus, in omnibus animæ facultatibus igne durissimo cruciabitur, nec ad tempus quidem, sed in æternum. Jam dæmones sustinent, jam damnati hujus ignis acerbitem patiuntur, & patientur per æternitatem; nec injuriâ nam æquum est, ut æternum crucientur, *qui voluissent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.* Greg.

3. Nihil dæmoni jucundius, nihil Jesu, nihil Mariæ, nihil sanctis omnibus molestius nihil tibi calamitosius feceris, quam si commiseris peccatum. Me miserum? quid ego, qui me tantum amo, volens ac lubens ruo in barathrum? Heu! ut placeam dæmoni, qui toties me malè habuit.

S. STANISLAUS KOSTKA.

13. Novemb.

*Fidelis Deus, per quem vocati estis in
Societatem filii ejus, Jesu Christi
Domini nostri.* Paul. I. ad Cor. I.

Sta-